AEMVLATOR DIVINITATIS
SIVE

DE S. IVONE

PAVPERVM ADVOCATO

ORATIO

HABITA

AD EMINENTISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

A SIGISMVNDO RVGGERIO
SEM. ROM. CLERICO.



Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. 1666.

Superiorum Permissu.

SANCTISSIMO D. N.

ALEXANDRO VII.

PONT. MAX.

SIGISMVNDVS RVGGERIVS F.

ORationem à me habitam ad purpuratos Patres de Sancto Iuone pauperum aduocato Sanctitati Tuæ sisto Beatissime Pater. In Viro egenorum commodis addictissimo videre adumbratam Diuinæ benignitatis imaginem erit Tibi iucundum, qui vt Vicariam Dei Potestatem geris, in terris, sic

Dei

Dei quoque beneficentiam aemularis. Iuo pauperum duntaxat calamitates absterſit: Tu veró toti Christianæ Reipublicæ fœlicitatem paris. Vndè carus æquè ac venerabilis omnibus, & maiestate reuerentiam, & benignitate amorem, ac beneuolentiam adeptus es populorum. Cuius ergo humanitatis amplexu neminem excludis, eius patrocinio me quoque dignaberis: qui priuatis etiam nominibus, veteri ſcilicet meorum obſequio erga tuam nobilisſimam domum, & acceptis ab ea beneficijs adducor, vt me totum Tibi deuoueam, & fauſtisſima mihi ſperem tui Nominis auſpicia.

ORATIO.

DIVINITATEM tunc maximè homo æmulatur, cum eo vires ingenij, atque industriæ neruos intendit, vt propulsatis egenorum calamitatibus fœlices faciat, quos miseros voluit esse fortuna. Vindex quidem scelerum appellatur Deus & impietatis, Animaduersor acerrimus, sed ad sceleratorum supplicia non nisi lacessitus descendit seque ab ijs tantùm seuerum agnosci vult Iudicem, à quibus non agnoscitur Pater. Spontè verò atque à nemine incitatus in beneficia, & miserationes erumpit, & ad miserorum perfugium patefactis amplexibus non alio magis gloriatur nomine quàm Seruatoris. Paucos tamen inuenias, qui suauissimum Diuinæ benignitatis ingenium æmulati malint, beneficijs alienas calamitates abstergere, quàm iniurijs augere; vel quòd ea sit conditio nostræ naturæ, vt nemo alteri largiri quidpiam possit, quin auferat sibi, vel, quod plerique mortalium se minimè felices esse arbitrentur, nisi multos videant infelices; quasi felicitas haberi non possit, nisi comparatione miseriæ. Discrepauit à communi hominum opinione, & consuetudine Beatissimus Iuo; nihil enim suæ vtilitati demptum existimans, quod in miserorum lucra cessisset, ac veras animi fortunas existimans facere fortunatos; inopum procuratione, ac defensione suscepta, retentoq. constantèr patrocinio

Di-

Diuinam miserationem,& beneficentiam feliciter est æmulatus. Optimo iure fundamentum amicitiæ similitudinem dixere sapientes,atque hanc esse causam existimo, cur humano corpori è limo terræ formato animum, hoc est Diuinæ particulam auræ infuderit *Deus*; vt nimirùm sui similitudinem conspicatus in homine,in eius beneuolentiam effunderetur,ornaretque beneficijs,quam ob mutui amoris exercitium condidit suæ *Diuinitatis* imaginem. Verùm quia maximo adhuc interuallo a Dei sublimitate disiungebatur naturæ mortalis humilitas,vt facilior esset hominibus aditus ad amplexus Principis, quem similiorem illis fecisset naturae communitas Maiestatem contraxit Deus, hominis formam indutus neque tamen ille se diuitem ostentauit mundo, quasi diuitum amicitiam capturus,sed execratus diuitias,vt pauperes, quorum possessioni cœlum addixerat,ad sui amicitiam faciliùs alliceret eiusdem fortunæ societate, dici & esse voluit pauper, ac pauperum Antesignanus & Comes. Diuinas huiuscemodi artes quàm ad viuum expresserit Iuo, quàmque sedulo vestigijs sui Seruatoris institerit, testatur summa rerum egestas,in quam spontè se ipse coniecit,vt egenorum inopiam subleuaret. Nam quo similior illis esset,quos sui Regis delicias esse nouerat, fortunæ bonis,quæ ipsi plurima suppetebant,vltrò se abdicauit,non tàm illud Anaxagoræ vsurpans Perieram nisi ista perijssent, aut illud Thebani philosophi Mergam vos, ne mergar a vobis,quàm illam Veritatis vocem re atque opere complens Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. Pauperem Iuo se fecit, vt amicos sibi faceret pauperes. More bombicis carcerem sericum, vndè ipse alatus & candidus euolauerat, in alienos vsus conuertit; aut potius flammæ instar succo Palladis enutritae, vt alienæ inopiæ tenebras suæ benignitatis luce dissiparet,se ipsum alimento destituit; si tamen alimenta deesse illi poterant, qui apis in morem delibato e virtutum floribus cœlesti nectare pascebatur. Post quam pauperum causa pauper factus est *Iuo*, vt ipsa etiam esset paupertate beneficus, circumire vrbes &

op-

oppida, stipem hostiatim emendicare, ergastula inuisere, valetudinaria frequenter adire non destitit. Proh qualem charitatis pompam Beatorum Ciuium oculis exhibebat, cum egenorum turba circundatus ori suo subtractas dapes in famelicos distribuebat ipse famelicus; cum in Zenodochijs ex ægrotantium pallore pallescens adeo constanter cum morbis, & cum ipsa morte certabat, vt pluribus is triumpharet charitatis tropheis, quàm illa funeribus; cum in angustijs carcerum arctiùs ipse aureis amoris nexibus obstrictus, quàm stringerentur ferro captiui, suauissimi lenimento solatii in corporibus vinctis animos vera libertate donabat; cum laceros inopum pedes permixta lachrymis abluebat lympha, complexuque fouebat, & osculis; cum laborantibus pupillis patris loco prospiciens, parentum desiderium mitigabat. Is tantùm Iuonis auribus iucundus erat concentus, quem festiuæ pauperum voces edidissent: ille dumtaxat cibus eius ori sapiebat, ex quo pauperes prægustassent: ea solùm lautissima videbatur mensa, quam multa vis inopum circumsedisset. saturitatem arbitrabatur suam, si nemo esuriret; lætitiam, si nemo mœreret; vbertatem, & copiam, si nemo permeretur inopia. O Propulsatorem egregium calamitatis humanæ! o Diuinitatis Aemulatorem industrium! Patrem se pauperum appellari voluit Deus: pauperum pater appellatus est Iuo. pauperes ad consortium, & ad mensam adhibuit induta mortali corpore Dei Sapientia: pauperes socios, & conuiuas habuit Iuo: Debitam aliis calamitatem in se transtulit Christus, suaque inopia inopes locupletauit: Iuo quoque in se transtulit alienas ærumnas, seque indigum fecit, ne pauperes indigerent. Vterque paternæ hæreditatis bona pauperibus obligauit vterque causam eorum, & patrocinium contra potentiorum iniurias promptè suscepit. Hoc verò postremum ob felicis fortunæ superbiam quæ diuitum animos plerùmque corrumpit, ob iniquorum iudicum multitudinem, qui, auri fulgore decepti æquitatem causæ turpissimè deserunt ob miseram paupertatis conditionem, quam obnoxiam fe-

cit

cit iniuriis acerbæ ſortis iniquitas, adeò periculoſæ ple-
num opus eſt aleae, vt raram auim in terris, & Phœnici ſi-
milem appellare poſſis cauſidicum, qui nulla ſuæ vtilitatis
ratione habita, nulla alienæ gratiæ, atque pecuniæ pro de-
relictis hominibus, ex quorum defenſiene parua ſpes afful-
get victoriæ, nulla compendii, audeat obluctari magnæ
fortunæ, atque iram in ſe concitare potentium, & nec blan-
dis præmiorum promiſſis, nec atrocibus pœnarum minis à
propoſito dimoueri; Pro æquitatis patrocinio nullius ti-
muit offenſionem incurrere, nullius effundere gratiam
Iuo magnanimus: æquiſſimam verò eorum cauſam duxit,
quos rerum omnium vrgebat iniquitas; iis ergò ſuam ob-
tulit operam, ſuam curam, & vigilantiam addixit; iis ma-
num, & linguam, iis ingenium, & induſtriam conſecra-
uit. Spes vnica erat gentium Iuo, perfugium vnicum:
hunc tanquam clypeum obiiciebant iniuriis temporum,
tanquam ſcopulum fortunæ procellis: viuebant Iuonis
vita, qui ſua vix viuere poterant: quin ipſe vitam & ſpiri-
tum non tam ſuo, quam pauperum ore ducebat. Hos ille
theſauros ſuos, hos ſui lateris ſtipatores, hos amicos, fratres,
filios videre voluit, vidit. Actum præclarè vobiſcum eſt ô
felices illius temporis pauperes. Placuiſtis Iuoni: fortu-
nauit ille veſtra infortunia: pretioſam reddidit veſtræ ino-
piæ vilitatem: grande nomini veſtro præſidium & decus
acceſſit talis Patronus & pater. Dulcis fuit ſub tam ſtrenuo
propugnatore calamitas; mutataque inuicem ſorte diuitiæ
ceperant eſſe contemptui, honori paupertas. Præſtabat
enim inopem eſſe, quàm tanti Viri iudicio non probari.
Iam ne Iuonem antiquæ pietati noſtra etas inuideat, ſua
liberalitate & munificentia faciunt clariſſima, quæ hic ad-
ſunt Romanæ purpuræ lumina. Horum radiis paupertatis te-
nebræ diſſipantur. Aequum enim, & glorioſum exiſtimant, eos
paternæ benignitatis amplexu fouere, quos ideò ſingulari
beneuolentia proſequutus eſt Iuo, quia precipuè dilexit, &
Eccleſiæ commendauit, dum cum his conniueret, & fami-
liariſſimè verſaretur. Deus.

DIXI.

AD SIXTVM V. PONT. MAX.

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΣ ΛΟΓΟΣ

D. SERAPHINI GIRARDI
CAN. REG. S. P. AD VINC.

AVCTORITATE SVPERIORVM.



ROMAE,

Ex Typographia Titi & Pauli de Dianis fratrum.

CIↃ. IↃ. XXCIX.

AD SIXTVM QVINTVM PONT. MAX.

ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΟΣ ΛΟΓΟΣ

D. SERAPHINI GIRARDI
Can. Reg. S Petri ad Vinc.

VELLEM, fieri potuiſſet, Sanctiſſime, ac Beatiſsime Pater, vt, qui de perſoluenda gratia praecipue cogitare debent, ijs liceret omnibus quoque ſeparatim, ingenium cum voluntate coniungere. hominibus eſſet in virtute laborantibus hoc ſolatium, vt, ſi minus rebus praeſtarent ſe memores meritorum; at certe verbis, quod eſt proximum, tuerentur, & litterarum aliquo teſtimonio, accepti beneficij magnitudinem. atque id quidem cerneretur, niſi me fallit opinio, eo illuſtrius, quo ſolent libentius grati prudentesq. viri, ac diligentius, quid a quoque acceperint, quantum cuique debeant, ponderare. nec illis accidere quidquam ego crediderim poſſe acerbius, ad interiorem illum animi ſenſum, quam, cum, vtrumque ſumme cupientes, neutrum explicant. tum autem vel maxime hoc euenit, mihi quidem, vt videtur, vbi ſe perſpicue vident obſtrictos memoria beneficij ſempiterna. id quod ſi cui potuit ad hanc diem honorifice contigiſſe, multis autem arbitror, nemini tamen poſt homines natos magnificentius, quam nobis vniuerſis hoc tempore, SIXTE V. Pont. Max. nam quae res generi animantium omni ca-

risima consueuit esse, ipsa hortante natura, eademq. dulcissima, libertas, hanc tu nobis paullo ante reddidisti; an humanius, an sapientius? &, cum libertate concordiam, bonos mores, vitae disciplinam, salutem denique, spiritum, felicitatem. Etenim, cum, per annos complures, a vetere gubernandi consuetudine, familiae nostrae administrandae ratio deflexisset, adeo deformata iacebant, domesticis incommodis, patria instituta, vt, quae antea praesidia eandem fulciebant, salutaria, virtutum praeclarissimarum, pacis, modestiae, caritatis, ea prope viderentur omnia, noua illa forma temporum, cecidisse. itaque, mutata iam quasi facie, & versa in miserias, optime fundata & constituta sodalitas, ad interitum ruebat voluntarium; ipsaq. diuturna malorum perpessione quodam modo obstupefacta, sciens & videns, (pro dolor) subierat indignissimam calamitatem. cur enim non ita scribam? quid? vt posset exurgere aliquando, & erigere se, numqua perfici alia potuit, quam tua; hoc volui dicere, Summi Pont. auctoritate? quid? an opus ei fuisset medicina grauissima, vulnere nisi grauissimo concidisset? Deus immortalis, quae insequens dies, in illa: sed haec libenter obliuiscor. tamen, his principijs, his fundamentis, ceterae partes, reliquum aedificium incumbebat. ad laetiora transeamus. Atque hic quidem fuisset, Pont. Max. status diutissime rerum nostrarum, tua si excellens & praecelsa virtus humanitatis, in tempore, opem, inclinatae iam huic, & occidenti reip. non tulisset, quod sane cum primum est auditum communi fama atque sermone; tum omnes, quasi quadam affulgente aurora spei melioris, manus illico sustulerunt. cum de re autem constare coepit, tanta

repen-

repente laetitiae significatio passim subsecuta est; quanta (Deum mihi velim propitium) si quis extremo supplicio proximus, nec opinato nuncium salutis acciperet. Quemadmodum ergo, qui diutius horrido taetroq. in carcere fuerunt, inde educti, primum omnium ipso caeli adspectu hoc recreantur laetissimo atque iucundissimo: sic nos cum tenuisset in obscura ceu custodia multos annos insolita quaedam administrationis ratio, seruituti non dissimilis, simulac tu liberationis signum sustulisti, ad ipsam vocem tuam respirauimus. tanta nostrarum erat rerum amissio, tanta difficultas recuperandi. Fecit ergo insignis clementia tua miserta nostri, lucem vt aliquando exoptatam respiceremus, discussa caligine, tamquam reuiuiscentis libertatis antiquae. libertatis autem? verius dixerim virtutis, modestiae, officij, beneuolentiae, suauissimaeq. communionis. quantum vero ista momentum afferrent ad diuinum cultum, ad honestas vitae rationes, ad magnarum artium disciplinas, carendo magis intelleximus, quam fruendo. Quocirca desiderio ardere me incredibili sentio laudum tuarum. &, si aperto introitu ad illa recondita mentium & intima consilia perueniretur, hominem viuere arbitror neminem, quin mox ita statueret: nihil aeque promptum cuiquam, & ad manum esse in re familiari sua, atque in te nostri sunt propensi omnium animi, studia, voluntates. Enimuero, si munera, & rerum magnitudine, & accipientis vtilitate, & praestantia dantis aestimantur, quid libertate maius in terris? quid salute vtilius? Romano quid Pontifice praestabilius? at haec tu nobis omnia simul, eodemq. temporis puncto tribuisti. Atque hoc illud est, SIXTE sapientissime, quod ego te

scire

ſcire peruelim: nos, cum, ſtatu noſtro priſtino gaudere mirabiliter, immortali merito tuo; tum, hoc totum vni tibi, diuina ſemper excipio, tibi inquam vni acceptum referre, ingenti malo, & eo inueterato, te aſſentiente, rep. liberata. Ac me ipſe quidem cum vehementius ad omnes cogitandi partes excitaui, peccaſſe mihi grauiter interdum videor, qui reticuerim tamdiu de tam benigna natura tua, tam exquiſito de genere bene merendi; qui non exclamarim continuo maxima voce, & praedicarim, quod ſemper libentiſsime faciam; quid nobis SIXTVS V. ſuo Pontificatu attulerit, vere pius, vere miſericors: quanti noſtra interfuerit, in eius tempus incurriſſe eas pugnas, quibus patriam communem hanc noſtram pęne vidimus deletam: quas ſyrtes effugerimus, quos vortices, eo gubernacula tenente, quae naufragia. At, ſi contra, quis tu ſis, quis ego, conſiderare velim, inq. meipſum deſcendere, qua ianua ingrediar in cauſam, non reperio. nec poſſum vtrumque noſtrum animo comprehendere, quin totus exhorreſcens contremiſcam. de me ſilebo, qui nihil valeo, nihil ſum. Te quidem mihi cum propono, virum omnibus rebus praecellentiſsimum, cum praeſentem adſpicio, abſentem cogitatione intueor, & contemplor, mirum eſt, quantopere praeſtringat aciem ingenij mei iſta perſona tua, iſta dignitas, iſta maieſtas. Tu is enim es, quo ſol nihil videt, quo fieri, fingi ue nihil mortale poteſt vſpiam, excelſius, nihil auguſtius, nihil ſanctius. Tibi omnes facile concedunt, quorum eſt vel ſceptro, vel alia ditione, vis, & potentia pertimeſcenda. a te qui deficinnt, a veritate deficiunt, a ſalute deficiunt, a Chriſto deficiunt. atque ipſe idem noſtrae dux & auctor ſalutis ſic amplificauit im-

perium

perium tuum ſuſtinendi conſtantia, quemadmodum nec ſuum proferre Scythae, Perſaeue potuerunt, qui latiſsime aliquandiu dominati ſunt; nec Macedones, quos multum conſtat ceteris bellica gloria praeſtitiſſe; nec Romani, quorum vſque in Perſidem arma, victoriae in Indiam penetrauerunt. non enim fines tuos Deus, vt illorum, non Eccleſiae ſuae clauſtra voluit Euphrate, vel Caucaſo, aut Alpibus; ſed caeli, terraeq. regionibus immenſis terminari. Ac tandem ex ipſo propterea orbis terrarum vertice Roma acerrimis hoſtibus religionis, vel pulſis, vel cedentibus, vel ad meliora profectis, deſtinatam tibi ſedem antiquiſsimis ſaeculis, vellent nollent, aliquando, potentiſſimi reges, inuictae nationes, gentes ferociſsimae reliquerunt ſtabilitate firmiſsimam, propugnatore inexpugnabilem, iuriſdictione infinitam, diuturnitate perpetuam. Neque tu cognoſcis modo, verum capis vſu etiam, tractandoq. hanc perſonam, hunc ſplendorem, hanc excellentiam Pontificiam. Quae, ad alia complura, eaq. egregia, tametſi veriſsima ſunt: nihil tamen tibi fuit tanti, vt a cauſſa noſtra recederes, vt nos iacentes non erigeres, afflictos recreares, errantes reduceres in viam: nos, iterabo ſaepius, tutoribus annuis orbatos, nulla re celebres, nulla conteſtata laude commendatos. quos ſi adſpectu etiam vultuq. triſtiori perterruiſſes; ſi voce, verbisq. grauioribus vulneraſſes; ſi denique iratus, a pedibus ſanctiſsimis tuis repulſos exanimaſſes: nihilo tibi ſecius, quae communi parenti conueniunt, optima omnia, & florentiſsima, cuperemus. videlicet, improbaſti eum gubernatorem, qui non totius nauis curam gereret, ſed prorae tantum, vel puppis: nec medendi ſcientia excellere iudicaſti eum

medi-

medicum, qui capitis, aut oculorum medicinam profiteretur; non curaret totum corpus, quod est in vitio. itaque eam curationem ipse adhibuisti, quae nec faceret dolorem, & sanitati restitueret hanc quoque Ecclesiastici corporis partem, debilem ne dicam, an aegram? an sauciam? haec diuina virtus, haec mira laus est, non fabulis commenticijs celebrata poetarum, aut inani collecta fumo aurae popularis: sed quam expendit integerrimus quisq. vir, & ciuis, veritate adductus, & dirigit ad normam, regulamq. Christianam. Qua ex eadem doctrina facile summam feceris eius cogitationis, quanta esse oporteat incensum ardentissimae flamma caritatis SIXTVM V. cui copiosissime tributum fuerit diuinitus, vt & Ecclesiae gubernationem tam grauem, tam variam, sustineret solis suis ceruicibus; & deriuaret idem praeterea tantum in nos temporis, diligentiae, amoris, beneficentiae suae. Id sane valde pertinuit, vt ego tum intelligebam, ad nostram vtilitatem; vt nunc iudico, tantundem adeo ad laetitiam tuam. ceperas enim nostra ex illa miseria, magnam molestiam: quippe qui etiam multo ante perspexisses, tamquam e specula, vel denuntiasses potius impendentes calamitatum procellas, futuram tempestatem. qua demum turbulentissima sedata, ornatissima haec familia, antea timore perculsa; nunc, tuo beneficio, ex eo confirmata, dupliciter gloriari solita est, iniuriarum oblita, officij memor; te sedente in puppi, & se vitasse certissimum naufragium, & datam sibi per te, summam tranquillitatem, summam pacem. dicam hoc planius, dicam apertius. quamuis namque posteriora ducas omnia Christianae reip. rationibus; & sis in eo totus, vt ab honestissima sententia digitum

nusquam:

nusquam: videtur tibi pusilla nostra haec tamen, vna eximia cui consuleres, fuisse de multis; vsque eo, inquam, vt, ne tuam quidem (paene dixi) cariorem habeas, feliciorem velis, cogites saepius, protegas magis. Dubitarem, ne quis me hoc putaret auribus tuis dare, nisi satis per se res faceret fidem, tanto, tamq. ornato iudicio tuo, auctoritate, testimonio comprobata. quid enim? non tu ad sua ipsam instituta reuocasti? non retinuisti ad interitum, atque ad occasum, praecipitantem? non subleuasti tantorum misericordia malorum, ne cerneres subitò vno exitio concidentem? quid? non a te habet eadem, quod vix optandum videbatur, & ornamenta pacis, & adiumenta salutis, & praesidia firmitatis, quae numquam certo aliquo in loco misera constitisset; nisi tuis proxime firmata consilijs fuisset saluberrimis, & institutis. a te ista fluxerunt, tum singula, tum vniuersa. tua sunt, tua sunt haec omnia, in quibus exultat nunc, & triumphat oratio mea. At hoc facile fuit Pontifici: audio. ne affligere quidem nos difficile, credo, si se dedisset in eam partem. sed hoc non specto: illud amplector, quod est in rem meam: nempe viuo nunc sine metu, viuo meis legibus, viuo laetior, & securior quotidie, periculo sublato, quod aderat, quod imminebat noui semper alicuius terroris, noui portenti: fruorq. libertate mihi a meis maioribus tradita, in qua natus, in qua sum educatus. eam ereptam, & exstinctam, dolebam: recuperatam laetor, & glorior. quam facile, nihil ad me: quam vtiliter, quam opportune, quam ad sensus meos apposite, hoc mea refert plurimum; id vero cum ani-

mo meo verso, versaboq. dum viuam. huius rei te auctorem fontemq. video esse, sanctissimi grauissimique consilij SIXTE Princeps. non tu antiquum ritum, non iura magistratus, non annua, legitimaq. comitia; nosmet nobis reddidisti, malorum radicibus altissimis euellendis; remquepublicam simul exsulantem reuocasti quodam modo nobiscum, in suas aedes. Quapropter, si erat iniquum, si turpe, si intolerãdum, imperio ad vnum delato, vagari, & viuere in horam alios; quo elatum gaudio credis nunc minimum quemque ciuem esse, cum sentit, propeque manu probat, se, in communi, atque in eodem, quo ceteri, iure versari? o erratum salutare: o miseriam iterum expectendam. nam, nisi sponte has turbas quaesissemus, si non haec ipsi mala nobis addidissemus; haud ea tu, censeo, nostra tanta cum vtilitate, tua etiam gloria depulisses. non inscite, quicumque is fuit: Dulce bellum non expertis. iam ingenue fateor, acri obseruatione, aliquo vsu, magno item periculo meo perdoctus; ad reliquas humani generis aerumnas, & solicitudines, hanc accedere in cumulum, minime contemnendam; vt, oblata in sinum, respuant; elapsa, & amissa cupiant ardentissime, inuestigent, persequantur. certe ita fit, nec est, vt negari possit, quin acrius pugnant intermissa bona & commoda, quam retenta diu, atque conseruata. itaque videmus ex eo frenquentissime, suauiores multo succedere diuturno ieiunio epulas, operosis negotijs otium, assiduis laboribus quietem, seruituti molestissimae libertatem. Perieram, inquit ille, nisi perijssem. Non ista ego comminiscor, aut conquiro

Γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος.

ambi-

ambitiose ad ostentationem, ad gratiam: nihil addo de meo. a te accipio, sumo de tuo, Beatissime Pater, qui nobis salutem peperisti; qui nullum, nos amandi, tuendi, ornandi finem facis. in quo equidem, cum tibi egregie constans, renouasti etiam Sixti IV. vetus exemplum, optimi Pont. max. & sanctissimi viri, quemq. vnum e superioribus, parentem patriae vere nominamus. commodius non potuit agi nobiscum, aut praeclarius, quam, illo, bonorum nauem gubernante, etenim, quid cineri eius atque ossibus non debemus, qui vltro nobis clarissima coenobia & offerebat idem, & deferebat? quibus, cum, non duobus, tribusve nos honestarit, & locupletarit, quod esset maximum beneficium; sed octo, ipsis inquam octo: quae vel immensa posteritas obliterabit, quae peruellet annorum series, in medullis haerentem, ac visceribus, tanti Pont. tam prolixam naturam, tam beneficam voluntatem? quod vtinam aetas potuisset hominis esse longinquior. propagasset ille certo scio, propagasset opinione hominum latius hunc virorum coetum, & vitae veluti communitatem; neque his tulisset res nostras profecto Italiae angustijs contineri. etsi, quãdiu tu nobiscum eris, qua es benignitate, futurum speramus, valde vt illum non desideremus. Eius tu ergo, qui mortui retulisti nomen, auxisti numerum, seruasti viuentis etiam consuetudinem: quo modo igitur affici nos reris? quem esse ideo sensum optimi cuiusque putas, hac in laudatissima Canonicorum societate? de meo enim iudico. multa vidi, legi, memini, auditione accepi, quae vellem, quae concupissem: nihil simile. quid

ita? quoniam a te impetrauimus ea, quae, si quinquennio ante sperare licuisset, adepti essemus ipsam felicitatem. Et nos gaudio non exsiliamus? non gestiamus laetitia dies noctesq.? erit in nobis quisquam sibi tam inimicus, qui secum tacitus ista recognoscens, non admiratione, non rei nouitate vehementer, non magnitudine, moueatur? si repentino aliquo stratagemate percussi homines intoleranter dolent; cur non sint ex aduerso iucundiora itidem nec opinata, & insperata bona? pro hominum fidem, qua te praedicatione extollemus? quibus praeconijs? vellemus pro eo nos quidem ac mereris, tuis certis proprijsq. efferre in astra, hoc est, verissimis, atque iustissimis: atqui es progressus adusque eum locum misericordia, lenitateq. tua, ex quo nec referendae gratiae, nec vero commemorandae spes vlla penitus ostenderetur homini grato. O SIXTI V. late, longeq. diffusam sapientiam, iustitiam, benignitatem. ecquod accipies inuicem mutui signum amoris? ecquando? ecquod animi grati argumentum exstet, appareat, ex cogitemus in te nostræ orbitatis tutorem, mæstitiæ socium, custodem pacis, fortunarum conseruatorem, vindicem libertatis? verum, neque tu curas hæc leuia; nec, si duceres maximi, non aliunde sumeres vberiora, atque ornatiora. Antiquitate res tuæ alentur, inq. bonorum animis condita, & collocata insignia virtutum tuarum tempus corroborabit; &, cum iucunda posterorum oratione florescent, tum sua multo magis ipsarum grauitate capient, & amplitudine vetustatem. Sed, beneficia praeseferentibus ingratis esse non licet. quæ nos percepta gratuito re

tinebimus

tinebimus immortali memoria. Sint, qui volunt, arbitratu ſuo, immemores, negligentes, ingrati. in hac quidē familia, iſta res perennis, ac propria, manet, & permanebit: &, quando referri gratia prorſus non poteſt, certe habebimus tantam, quāta is debet maxima digniſsimus videri, cuius fideli prudentia, ſimus, in reliquum, ab omni re paratiores futuri. hanc nobis prouinciam depoſcimus, hoc opus vrgebimus, hic erit conatus & apparatus noſter. nam, vnde alioqui hauriamus ad te ornādum, Felicem, ab omni laude feliciſsimum? idq. vel naturae bonis, vel doctrinae inſtrumētis, vel Eccleſiæ honoribus, vel ratione vitæ mirabili ad gloriam, & prope ſingulari. non is indiget hominum plauſu, & clamore, qui opibus & copijs omnibus affluit humanis, atque caeleſtibus. ſatis, ſatis te remuneratum exiſtimabis, ſi ad pietatis officia certemus ſumma contentione, ſi nihil remittamus de ſtudio, nihil de perſeuerantia; ſi ad extremum tales ſimus, quibus tu in clientelam tuam acceptis, non peſsime ſenſiſſe videaris. neque enim, quo gratiam reciperes, eo contuliſti: nam, quid abſurdius? ſed, inde vt coniecturam duceremus, qui futurus in nos fueris, commotus integritatis noſtrae fama, eruditionis, temperantiae: cum, rep. exterminata, diſtractis ſententijs, patrimonio diſsipato, rebus propemodum deſperatis; illam reuocatam compoſueris, mala ſedaueris, fregeris diſſenſionem, reſtitueris libertatem. Deo tu immortali duce, hanc mentem, Pater Sancte, voluntatemque ſuſcepiſti, noſtris vt illuſtratis, & compertis erroribus, tantis periculis nos, tanta pace, tantoque ſilentio liberares. Ex quo nimirum intelligimus,

ligimus,

ligimus, (id quod lacrymis profusis rogamus) permagnum familiae huic extenuatissimae, in tua esse tutela praesidium comparatum, & vetus. etenim, qui eandem abhinc annis quindecim monuisses, vt triennium caueret, ne a suis legibus discederet: idem tanto post, immensae tuae auctoritatis voluisti, ad ipsam quoque praeceptum aliquod peruenire. id quod, si tum, in eorum pectus, quorum id vel maxime referebat, altius aliquanto descendisset, numquam a tuis nostra consilia discrepassent. Et, quoniam huc oratio deflexit, ne hoc quidem praetermittam: reip. tuae cum nostra, quamuis angusta haec, illa ampla sit, & altrix Max. Pont. magnam, & nunc intercedere, & antea fuisse, amoris coniunctionem, multa necessitudinis vincula; tum vel in primis autem, virtutis studiorumq. arctissimum & antiquissimum. vnum, credo, item & alterum inuenero e nostris, praeterea quidem neminem, ad quem tota id genus docendi, intelligendiue ratio non effluxerit ex illa pressa & enucleata doctrina vestra, ex occulto dico vestro illo, & exquisito genere litterarum. hinc mihi Thomas Cyprius, & Barzellinus ad omnem de natura quaestionem magistri fuerunt. hinc alijs, ad explicationem diuinarum etiam rerum, auctores exstiterunt, praestantissima eruditione viri, Lucius, Octauianus, Bargius, Delphinus, &, qui hos aetate antecedebat, (an, etiam sapientia, ignoro) Costacciarius. sexcentos nominarem; sed hi sunt principes, haec lumina, nec vllum reperio genus virorum (vide amoris quot vestigia) in quos vel simus ipsi propensiores, naturae quodam interiore impulsu, quae nihil

agit

agit temere: vel qui plura vicissim, maiorave cõtulerint merita in nos, ac beneficia, quam, qui se Diui Francisci addixerunt legibus, & praeceptis. Ac velim illud consideres hoc loco etiam atq. etiam: quemadmodum nemo vnus, omni ex numero beatorum, Saluatoris expressit effigiem excellentius ipso Francisco, in hac vita, aptiusq. ad veritatem: ita ab eius disciplina qui sunt profecti, in iuuandis huius propositi hominibus, Saluatoris nomine insignitis, facile superarunt omnes. huiuscemodi mentes nostras recordatio ita consolatur, adeo reficit, vt, eum dolorem, quem ex difficultate capimus remunerandi, iustum, & grauem non plane tollat illa quidem, qui enim possit? sed minuat certe, abstergatque magna ex parte. quid vos? inquiet aliquis: quid? emetiemur, praeter voluntatem, nihil nunc quidem nos; cum eádem siti iampridem, agri, prataque exaruerint. at, sicunde se occasio dederit, quam minime desperamus, non habebunt, mihi crede, Patres tui, nobis quidquam amicius, coniunctius, perseuerantius, vteruis rerum euentus consequatur. Cum vero Sedem tu hanc teneas Romanam, iure optimo optimam aliarum parentem, meritoq; teneas, volumus de tua maiestate, quod tibi faustum, ipsi honorificum, vtrique salutare arbitramur. ac ne quid horum, scilicet, obliuione cõteratur, haec in dies nobis magis ac magis in amore, atque in delicijs erunt; tum communis boni causa, tum quia in hac varietate nostrorum temporum praestantem tuam perspeximus beneuolentiam, & admirati sumus, & cõstantiam singularem. Quamquam non sumus ignari, te ista in minimis ponere, quae nimirum

rum

rum aliquando interitum ſentient, fluxa, & caduca. &, re vera, quid aliud ſunt vigilantium laudes, quam ſomnia? inde ſequitur contemptio vitae, nobilitas mortis. ea te cogitatio tenet acerrima, SIXTE Pater patrum, ſpe illuſtri defixum aeternitatis: eaq. conſtantiſsima, iam a puero. hinc paullatim, reliquarum rerum deſpicientia: hinc ille idem vultus perpetuo, quem in Socrate veteres tanto ſemper opere laudarunt. Iam, cum ipſe aditū ceteris aperias in caelum, hac omnium terrarum celſiſsima in arce collocatus; quo ſtudio, qua contentione, tibi ne claudatur ipſi, laborabis? Ac fuerit ſane operaepretium animaduertere, quam praeclare informes, curſu iſto, actuq. extremo honorum tuorum, perfectum Pōtificem. Nam, qui, te ante, hunc eundem Apoſtolicae nauis clauum tenuerunt, caeleſtem dumtaxat viam: tu etiam terreſtrem tutiorem viatoribus, & faciliorem reddidiſti. qui vtroq. valuerit, non facile dixeris, ſi a Sixto IV. diſcedas. illi enim, quemadmodum animos criminibus expiaremus, tribuerunt: tu, hoc amplius, quo modo e latronum inſidijs vitam, & gladijs, eriperemus. illis videlicet multum debemus, qui, vt caeleſtem Pont. contueremur, perfecerunt, quod in ipſis fuit: tibi, qui, ad vtrumque adeundum viam patefeciſti latam, & laetam, & regiam, ecquidnam tandem pro gratiarum actione ſoluendum eſt? Naturā quandam habuit apud omnes merito commendationem ea conſuetudo, ab vltima rerum origine, qua homo homini praetereunti mōſtraret viam. hanc violare impuriſsimos homines, hoſpitibus afferre manus, omnia ſtupris inquinare, caedibus, latrocinijs, nonne impium erat?

nonne

nonne nefarium? non eorum postremo, qui sibi, praeter figuram, nihil hominis retinuissent? hunc igitur sicariorum globum disiecisse, hac Vrbem peste, & vna Italiam liberasse, suis illos armis vicisse, mutuis gladijs contrucidasse, quid aliud fuit, nisi plane insanio, aut potuit esse, quam, & reliquis, resipiscendi, & successoribus tuis Ecclesiam bene gerendi certam normam praescripsisse? Haec diuina est gloria Sixti v. hoc est Pontificem esse, hos viri viros admirantur, hunc demum Episcopatum qui desiderat, rem bonam, laudabilem, praedicandam desiderat. vt enim nullus est vsus oculorum sine lumine; sic principes viri praesunt inutiliter, nisi malis resistant, bonos foueant, iustitiã colant, qui est oculus legis. Quid? illa, Fani Lauretani ad custodiam, inuenta ratio equitum ducentorum, quid habet, quid continet non honestum, non decorum, non religiosum? vt sapienter excogitata? quam introducta vtiliter? quam gloriose? nihil est actum gloriosius, ita viuam, nihil salutarius, laudatius, nostrâ memoria. Quid ego nunc Vaticanam magnificẽtissime exstructam bibliothecam referam? quid, nobilissimis aedificijs, templis, fontibus, obeliscis admirandis, auctam Romam, & illustratam? in tanta vilitate annonae praeterea? quod equidem, vix credibile videbatur coniunctum iri aliquãdo, vt, & multis in locis aedificaret aliquis egregie, & aerarium augeret idem, & vellet, plebem sibi minimo victum parare, vno eodemque tempore. Quid ipsos Apostolorum principes, prope versantes nobiscum, columnis insidentes, tamquam excubantes pro nobis? quorum templi omnium longe augustissimi aedi

 ficatio,

ficatio, quam pridem fuisset intermissa, non est necesse dicere; omnes enim & meminerant, & dolebant. an vero eius perficiendi laus tibi reseruata sit, tum dubitabitur scilicet, si vita suppeditet, cum erit negatum, non lucere meridie. Quid, ad extremum, sacrorum editio volumi num, veterumq. Patrum simul? qua maiestate prodit? qua etiam puritate? quam omni mendo carens? age, Ecclesiae quantum profutura est in omnes partes? quantum explicationi quaestionum obscurissimarum? quid? Catholicis, vtilitatis quantum afferet, & laetitiae interioris? hære[illegible]orum, contra, quae vulnera refricabit? quae labes app[illegible]bunt hominum perditorum, quae cicatrices? quantus autem in recenti infamia dolor? peccator enim videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, & contabescet. Atque haec quidem, ideo nuda necesse habui effundere in praesens, quia, seorsum, & suo loco singula tractare distincte si voluisse, non oratio pertexenda mihi, sed iustum volumen instituendum fuisset. Scite igitur tibi cum primis, maiores tui, Pont. Max. &, in Stella, mentis acu[illegible]: &, in Leone, maximorum operum perfectionem; &, in Pyris, leuiorum etiam rerum occupationem reliquerunt. Vbi sunt, vbi sunt, qui dicunt, agere in libris aetatem, impedimento esse, ad res magnas obeundas? ridea[illegible] in sinu: quid minus enim? te certe viuo propositum non tenebunt. quem exercuit per tot annos celeberrima familia, quemq. Roma postea, & Ecclesia eum sensit, cognouit, experta est, dubijs in rebus, grauissimis in negotijs, nullam vt rem esse tãtam declarent, quae fugere tuam scientiam, quae te latere possit, in vsu

homi-

hominum posita. Ergo, & ingenio excellis, qui hostes pacis, priuato, quam publico malueris incendio deflagrare; & prudens es, qui, quae resecanda erant, non sis passus manare ad perniciem aliorum; & fidelis, qui, non rem tuam agas, aut, quae tua sunt, quaeras: sed populi Rom. sed nostris, sed Ecclesiae rationibus consultum, ac prouisum velis. Quam si vnice ipsam non amares, saluq. (sic enim credo) etiam tuae libenter anteferres, haud uaquam illam saepius amplissimae pecuniae dominā cisses, neque auri tantam vim ad Sancti Angeli deposuisses; aut, ne quis inde nummum moueret, decreto cauisses tam fixo, tam formidabili. His initijs orsus, felicissime Sixte, mirabiles amores tui excitasti, tantumq. bonis viris dedisti honestissimi sermonis, quantū ea opinio tulit, in qua viuis apud cupidissimū verae pietatis, & amantissimum quemque. succumbere pecuniae, miserum est, detestabile, indignum viro, odiosum Deo. & vero habent nummi hoc incommodi, vt, dum praefracte nimis custodiuntur, emergat occulte auaritia, influatq. in animum latenter veneno suo. quae, ne te occuparet execranda labes, consilia inire coepisti praeclara, immortalis Deus, digna hac luce Pontificia, digna viro, longe multumq. in futurum praesentiente. Imminet multorum crudelitas importuna, aliorum immane odium, in fortunas, in bona Ecclesiae. parantur quotidie, castissimae huius virginis pudori, insidiae continentes, manifeae, atrocissimae: nec malos a bonis internoscis, hostes tuis, vt a tritico lolium; quod auget difficultatem. hoc tellecto, fuerit prudentis, vel pastoris, vel ducis, vbi

plus resideat suspicionis ad perniciem, ibi vigilare acrius ad salutem? Sit ergo in Vrbe, in arce, in hoc religiosissimo nationum, ac gentium domicilio, vnde, & vis vi repellatur; & sustentetur, si sit opus, inopia plebis. Sed illuc reuertor: atque ita magnum auri pondus ibi tu condidisti, salutari cõsilio, memorabili exemplo, vbi, admirabili sapientia, virtuteque iuuenis, fide, munificentia, Laurentius, ante septingentis annis, & eo amplius, sepo suerat creditos sibi à Sixto II. thesauros Ecclesiae, ne i impiorum manus peruenirent. dissimili omnino ration sed eodem certe animo. ille distribuendo; tu reponendo: ille clam & occulte; tu palam clarissimaq. luce. spectauit equidem vterque solidam vtilitatem: vtrique pie tas ob oculos versata est. etsi autem Laurentius decessit, Sixtum tamen tenemus. est ne, qui, aut factum vituperare possit hoc loco, aut voluntatem? nemini facit iniuriam, qui Deum omnibus praefert. Itaque aufers à probe iudicantibus eam laudem propterea, & auferes multo magis progressu temporis, quam nulli terrarum fines circumscribant, quae vix caelo capi posse videatur. His tu armis pugnas, inuictissime Sixte, vt triumphes; his lacertis luctaris, vt coroneris; his ventis nauigas, vt aliquan do portu potiaris illo immortalitatis tutissimo, optatissimo, aeterno. Hoc tibi propositum video, hoc moliris, huc te paras; vitam, gesta, mores, vt habeamus tuos, exemplum illustre veteris sanctitatis. haec puer, a primis annis, haec adolescens cogitasti: horum similia deincep ijsdem itineribus, pari pietatis ardore. Ac, ne quando te vt fit, casus humani peruerterent, id egisti assidue, vt op-


pone-

poneres incertis, metuendisq. rebus scutum duplex, ad mentis optimae conscientiam, artium cognitionem nobilissimarum. istae, vt possis, faciunt; illa, vt velis, intus expromere, quae hanc deceant, grauitatis, seueritatisq. personam; quae virum, paene dixi, obsidem, Christi, humanum in genus, amoris, eundemq. admirandum eximijs virtutibus maximo, sanctissimo, atque amplissimo sacerdotio. Non potes igitur, caelesti lumine collustratus, firmissimisq. innixus his adminiculis, & subsidijs, non explere munus tuum, non respondere hominum exspectationi, non agere Sixtum V. Quod cum ita sit, velim, ij sint exitus breui consiliorum tuorum, quos mereris, quosq. futuros confido. interim, quo intelligas, te, hominibus gratis tribuisse officium, & priuatim, & publice tibi praestabimus, gratulationibus, votis, precibus, monumentis, ad pietatem illustrandam tuam, ingratiq. animi horribile crimen declinandum; tum, ad illius diei, & nominis tui memoriam, totiusq. Perettae gentis, ac familiae; atque laetitiam sempiternam.

AD. GREGORIVM XIIII. PONT. MAX

GRATVLATIO

D. Seraphini . Girardi . Can. R
S. Petri. ad. Vincula



AVCTORITATE. SVPERIORVM

R O M A E,
Ex Typographia Pauli de Dianis.
CIϽ. IϽ. XCI.

MAgnum negocium est exspectare, Maxime Gregori, Optime Pontifex: atque haud scio, an, ex humanis aerumnis, id est nostris, merito inter eas reponēdum, quibus in hac vitae molestia quotidiana circum septi, grauissime, & frequentissime affligimur. hoc autem quod proposui, & alias quidem ego expertus, & magno meo cum dolore sum; nunquam tamen molestius fortasse, quam hoc toto proximo interregno superiori Pontificio: ideo, quia eram in eius rei desiderio, quae decebat multos, nec nisi vni tribuenda erat, & parum constabat, ex eo numero cui potissimum deberetur. animus enim suspensa exspectatione vtrinque verberatus (vt ego tum sensi) dum vnum sperat, alterum reformidat, illaq. aura rumoris iactatus ancipiti cura viuit, non potest pacem habere, conflictatus hac febri, praecipue diuturna; non potest loco consistere. atque hoc denique illud est, qnod grauiter paullo ante, vsu edoctus, vereq. dolebam, hominem cupiditate incensum aliqua vehemētiore, exspectādo discruciari. At posteaquā, veritate nuncia, id successisse intus didici, qnod valde, quod auide cum bonis viris cupiebam, cum Populo R. exspectabam, incredibile dictu videatur, quantopere sim gauisus ea voce mecum & laetatus propterea. & publice gaudebam; notus tibi non eram, nihil contraxeram tecum, ater an albus essem, ignorabas. quid amici, quo exultarunt gaudio, intimi tui, optimi honestissimiq. viri, familia tota? quae tum fuit illorum quasi titillatio dulcissimae voluptatis,

 & quanta?

& quanta? ego quidem, Pater Sancte, qui in tua praedicanda innocentia & probitate gratuita, iure antè nemini concedebam, etsi gaudeo mirabiliter in gaudio ciuitatis gaudium meum, vix tamen possum verbis exequi, eius laetitiae meae intimum sensum, qua laetitia mirifica & recenti, honoris tui nuncij salutem mihi propemodum attulerunt: cum tu, mortuo, vel exstincto potius Vrbano, ad Ecclesiae gubernacula rite vocatus a Patribus, Romanorum numerum Pontificum auxisti: Est illa quidem ad communem, Vrbis praesertim, voluptatem grauis & honesta ratio, quod si mors, cui parendum omnino est, summum Pontificem his ademit, illis eripuit; vita ex contrario, qui Christus est, non ita multo post, Pontificem Summum vtrisque restituit, misericordia, vt solet, motus, ijsq. precibus & lacrymis, quas, illo interuallo temporis crediderim ego, multas & assiduas optimum quemque profudisse. ac si quid per eos dies, aut cuiusquam tentauit audacia, aut petulantia violauit, id omne ita vidimus repressum noui Pontificis creatione, vt, multos esse mihi libenter persuadeam, quos vehementer iam poeniteat intemperantiae suae. Sed alia mihi occurrit quaedam nunc laetitiae caussa, ad gratulationem, ad famam longe praestantior: Nam, cum hoc ipsum mirabile est, in eum te locum peruenisse, quo alij complures, si non aspirabant, certe, vt aspirarent, eos virtutes eorum notae atque illustres monebant, acuebant, stimulabant, meritaq. in Christianam remp. numquam interitura: tum, quo tempore perueneris, quaue ratione, id vero ma-

gnam

gnam facit admirabilitatem. etenim, qui res humanas ponderare certo quodam iudicio soliti sunt, magnum semper arbitrantur habuisse ad quamque rem efficiendam momentum, tempus ipsum: quin, obseruatum illud fuit saepenumero accidisse, vt eadem res, alio atque alio tempore suscepta & gesta, aut laudem afferret nullam, vel obscuram; aut eximiam & immortalem. ergo hoc primum; quo posito & stabilito, quem in statum rerum tua inciderit virtus, maiestasq. pontificia, consideremus. non enim te vrbana sapientia, sed caelestis; neque humana, sed diuina consilia & suffragia hominibus communicata, Pontificem creauerunt. Cum igitur annonae caritas plebem premeret, versareturq. iccirco Populus R. in magnis angustijs rei familiaris, eoq. genere infestaretur hominum ager Romanus, quod speciem prope iam praebuisset obsidionis, tum Ecclesiae praefecit suae Deus eum virum, conspiciendum insita quadam dulcedine bonitatis; quo non alium pacis alumnum, his malis depellendis aptiorem potuisset, communis vtilitatis amantissimus quisque, nec desiderio fingere, nec precibus optare, nec lacrymis & lamentis deposcere; vel virtutum splendore, vel naturae propensione ad misericordiam, vel summi imperij summaeq. dominationis auctoritate singulari. quid, quod ardet, flagrat intestino bello, eoq. periculoso Gallia vniuersa? obscura scilicet prouincia; immo clarissima: tenue regnum, immo potentissimum! cuius te aliquando futurum pacificatorem, quis dubitarit?

id sane

id sane ex eo facile datur intelligi, quod in tanta copia virorum in omni laudis genere principum, tibi haec ante alios tam grauis demandata est cura, tam difficilis. non ea fuit vis vnquam humani ingenij, vt semper homines, quo intendissent cupiditatem, eo deducerentur, quaecq. cogitassent ipsi secum, & spe tenuissent, rata & certa essent: decipimur crebro specie recti, Beatissime Pater, multaq. id esse nobis videntur, qnod minime sunt. at contra, spiritus aeternus ille ac diuinus, quem nullus attingit error, quiq. nec falli potest, nec fallere; quod facit, quodq. fieri vult, id, neque mutandum illi est, neque vllum relinquit repraehensioni cuiusquam locum, an caussa quaeritur? quia, quae cogitat beata sempiternaq. natura, constanti ratione cogitat, maximo consilio cogitat, certissime sapientissimeq. cogitat. habuit Roma, & Ecclesia, habuit hic orbis terrae Senatus grauissimus atque sanctissimus viros eiusmodi multos omnibus temporibus, qui possent, nedum vellent, & doctrinas malas euertere, & lupos, vulpesq. discernere, & alio quouis pacto hāc Petri petram tueri strenue atque conseruare. sed tantam omnium virtutum excellentiam, & quasi varietatem; prudentiā, constantiam, fidem; quantam in hoc supremo consilio videmus, repetere non video facile e superiore memoria. cernitur, elucet in hoc Principum numero ea ingenij acies, hac vrbana exercitatione limata, tantum robur animorum, gerendarum rerum ea scientia, vt, qui ex illis putantur, prae alijs, parum in negotijs versati, hi, si regendam totam Europam susceperint,

rint, minus oneris etiam sustulisse videantur, quam possint mentis ingeniiq. sui viribus sustinere. atqui ex hoc tu Collegio Illustrissimo primas tulisti Pontifex maxime. te quisque eorũ cum sibi praeponebat, cum in sede praecelsa illa collocatũ suspiciebat, venerabatur; quã honorifice de te sentiret, ostendebat, confitebatur. quantus ergo is debet existimari, quantã virtutis praestantiam adeptus, a quo illi fuerunt dignitate superati omnes, quorũ sapientiae, grauitati, iudicio, ingenio fines tot prouinciarum angusti futuri sint? at, haec tibi praeclara praecipiti consultatione obtigerunt, delata sunt. non possumus dicere; nam duo menses intercesserunt, duo, inquam, menses intercesserunt: cumque esses bene de rebus domesticis constitutus, aliud, quod crimini locum daret, nihil restabat. quare, ne haec macula quidem, hoc telum talibus viris haerebit. quid igitur fuit? dicam libere quod sentio. quemadmodum in celebri aliquo mercatu, copia nos rerum pulcherrimarum suspensos detinet, ne statim id emamus, cuius caussa venimus, dum aliud alio magis arridet, trahitq. ad se: similiter in Sixti V. successore deligendo (nam Vrbanum quidem vidimus praetereuntem) cum omnes ad id quod optimum & praestantissimum est, contenderent, haesitatio ipsa morã iniecit, idcirco, quia aestuans animus a conatu suo repellebatur, nec satis, quem cui praeferret, explicabat, in multis dignissimis principatu. tamen, cum de te frequens initio fama surrexisset, is item rei euentus fuit, qui neutiquam dissentiret a principiis. Deus immortalis, quot mihi res vno

spiritu

ſpiritu voluendae forent. itaque generis claritatem, quae glorioſa, doctrinam ſubtiliorem, quae exquiſita, aliaq. itidem perpulcra pene innumerabilia omittenda mihi ſunt. attamen, vt vt ſit, hoc pono in oratione mea; qui ignoret Sfondratae familiae clariſsimae in Italia, & fundatiſsimae vetuſtatem, eum nihil legiſſe, nihil cognoſcere, nihil ſcire. fulcirem, ſi eſſet neceſſe, orationem meam, roborarem teſtimonio hiſtoriarum; contenderem, excitarem ex hac domo viros primarios ciuitatis; in literis nobiles, in armis illuſtres non paucos, magnis honoribus vſos, iiſq. debitis, aſsiduis laboribus perfunctos pro patria, pro regibus, pro Eccleſia. ſed in re nota quid opus eſt teſtibus? ergo iſta vetuſtiora, & remotiora praetermittamus. praeterea, de tuis gaudijs, nō de tuorum meritis, haec mihi eſt inſtituta, haec elaboratur oratio. enimuero, ſi dicere incipiam, quid patri tuo defuit, ne abeamus ad annales, ad commentaria, quid defuit patri tuo, quominus cum ampliſsimis electiſsimiſq. viris compararetur? quid habuit dignius, praeſtabilius, quid excellentius illa aetas? quae, cum vno foetu quodam modo edidiſſet eos viros, qui veterem nobis ſapientiam, & eloquentiam rettuliſſent, Alciatos, Bembos, alios; erat inter eos pares tuus, Franciſcus Sfondratus eo loco, quo qui ſunt, laborare inuidia deſierunt. ſed hoc admirabilius, quod, cum certaret cum quolibet eorum omnibus honeſtiſsimis & praeclariſsimis rebus, illum (vide naturae bonitatem) certatim amabant omnes nihilominus, propter ſuauitatem morum, & numerabant ſuum. quae vbi reſciuiſſet is, qui

ſummae

summae rerum praeerat Paullus III. paucorum hominum Pontifex illustraturum se iudicauit Collegij Cardinalium amplitudinem, si cum illis ipsum, quod fecit, in eum ordinem cooptasset: vt, quos amor copularat, virtus deuinxerat, hi dignitate ne disiungerētur. atque ille quidem mutato vitae statu, ac veluti reuocatus de suo cursu, traductusq. ad Ecclesiasticas cogitationes, eundem se praebuit, quem semper antea; nihil dico amplius, hominem in vtraque fortuna cognitum, hominem omnium horarum. &, qui pietate, quod rem continet, & honestate direxisset publicam disciplinam aeque ac domesticam, non tantum reliquit, cum hanc vitam reliquit, gratissimam memoriam sui (& magni refert in claris viris, quid de quoque sentiat posteritas) verum ea pignora itidem virtutis suae, eiusmodi filios puberes duos, in quos prope dixeris, patrem, & proprias laudes, & familiae communes transfudisse. quo etiam minus de tuo fratre longa oratio expromenda fuerit, viro, heroë dignissimo patre, dignissimo maioribus suis, dignissimo patriae dignitate vix comparabili. nam de te, Pater Sancte, qui verissimus es in terris, certissimusq. Petri haeres, quid dignum eloquar pro exspectatione hominum, & magnitudine rerum? quid commemorem primum? vitam ne anteactam tuam? at haec in luce & oculis Italiae versata est. an operam, & vigilantiam in Concilio cognitam Tridentino ac testatam, eruditionemq. praeclaram? non solent adhibere, qui acute vident, lucernam in clarissimo sole. quid, Ecclesiam tuam vt rexeris verbo, vt exem-

plo;

plo;facra,res diuinas quemadmodum tractaris,& caerimonias, quo ftudio, religione, apparatu;Chrifti patrimonium, quomodo tripartito diftribueris; animo quam paterno in pauperes,in egentes fueris, in delinquentes, non ftrictim attingam, non indicabo faltem, non digitum ad fontes intendam? non hoc poftremo, quod nihil vnquam contra rem cuiufquam cogitafti? quid eft rationis, quamobrem adminiftrationem ego exquiram, fanctitatemue Cremonenfem, qui teneo Romanam? qui de fanctiore certus fum? fed redeo ad fratrē: quo de ipfo,iure charifsimo tibi,atque optimo, vnum hoc fatis habebo dicere nunc; quantum natura, quoties vult,largiatur de fuo,& cui vult, in Paullo Sfondrato, in hoc heroë aperte fuiffe declaratum: neque enim eum Rex maximus Philippus (cum regem dico, nemo fe praeteritum conqueratur: eximium quiddam eft & fublime admodum nomen regium, e caelo acceptum, decoratum oraculis, a poetis etiam concelebratum) non, inquam, eum rex feciffet tanti, nifi cognitas habuiffet eius ingenij vires, prudentiam, praefentiam animi, celeritatem, fenfufq; exploratos omnes penitus hominis: at cui regi tam charus & aptus vixit? prudentifsimo, id quod apparet, actionesque fuas pariter & alienas fuis ponderibus examinanti; tum potentifsimo, & religiofifsimo; Romanique Pontificis auctoritati, verbo, & re deditiffimo: qui, cum plures nominet in ditione fua prouincias, quam caeteri oppida forfitan paternis exemplis eruditus, quibus abundat, is euafit, qui fuftineat

tantam

tantam molem imperij amplius annis triginta . quod ſi, vt quidam ſcripſit, tueri parta, quam quaerere, non minor eſt virtus ; quantum diuturnitate addetur Caroli V. virtuti militari, ex paterno imperio propagato ; tantum laudibus filij allaturam diem audeo ſperare, ex eodem ſapientiſsime retento atque adminiſtrato . ergo is rex, cuiuſmodi alium vix licet recordari, Paullum Sfondratum ab Italia euocatum in Hiſpaniam iterum ac tertio, apud ſe honorifice habuit, de amplis negocijs cum eo ſermones contulit, iudicium collaudauit, eius opera vſus, conſilium ſequutus, fidem expertus, ad extremum dignum duxit, in tanta Hiſpanorum copia, hominum peritiſsimorum, qui filiae nuptias poſſet, regia maieſtate ſeruata, conciliare . Talis igitur tibi eſt pater, vigilantiſsime Gregori, taliſq. frater, maximi viri, maximis in cauſsis ſpectati & probati: quorum alter apud Pontificem Max. auctoritate plurimum cum & gratia valuerit, alter apud maximum regem; tu amborum ſuperſtes deſiderij, aetate diſpar, voluntate aequalis, gloria ſimilis, vt hunc tertium quaſi actum clauderes, tuo faelici exitu vtrumque plurimum nobilitaſti . O fortunatam natam te Pontifice Romam . nata enim profecto videri debet aliquo modo, rurſumq. condita, & vero melioribus auſpicijs, cum in ſpem erecta annonae commodioris, adde, benignitatis, clementiae, libertatis publicae, tota ſe ad te cum ſuis ciuibus effundit, plena ſpei bonae: cum, a te liberata ma-

gnis molestisq. sumptibus, iam se paullatim ex diuturnis incommodis recreabit: cum illae pinnae, quas illi tempora dubia inciderant, quae Vrbano VII. ceperant, te Pontifice renascentur, vel potius parente. sunt enim decreta Pontificis, facta quidem patris, humanisimiq. patris. Amat praeterea haec Vrbs, habet in pretio, quod saepius, magnisq. in rebus aduerti, nobilitatem: non quamuis; sed inueteratam, sed ex annalibus eruẽdam; quae, noua iugiter prole renouata hominum & conseruata sui similium, facile se per se ipsa defendit, & insistens viriliter suorum vestigijs, bellum habet susceptum acre cum antiquitate, cum tempore. O nuncium iucundissimum patriae; cum audiuit ciuitas opulentissima, in Italiae sita vel flore, vel robore; cum accepit, Romam orbis caput, te Pontificem Maximum renunciasse: O diem Mediolani optatum illum; o gratum Cremonae & laetum eundem; quo die nobilissimae copiosissimaeq. vrbes, custodes salutis, propugnacula tranquillitatis, obuenisse tibi illud cognouerunt, quod exoptabant ambae tanto ante, quod sitiebant. quibus de vrbibus quid ego plura loquar? satis hoc erit innuere, earum terrore, multorum in nos conceptum immane odium, inclusum venis contineri. non potest industria certe tantum, quantum natura: ad istam enim spectat docere, quae aberrat perquam raro a suis inuentis; illa se discere profitetur, & imitatione sequi: tametsi, non sequi modo interdum, sed assequi frequenter etiam, & vincere. non potuit opponere alpes Barbaris prudentia, potuit vrbes: illarum

D iuga,

iuga, harum moenia sunt superanda male de Pontifice cogitantibus (hos enim Barbaros voco) alpes niuibus perterrent hostes, vnde tractum nomen ; vrbes praesidijs, & armis, & animis ciuium fortissimorum: ibi Annibal temeritatis suit paenas, relicto oculo (amisso volui dicere) hic Hasdrubalis copiae deletae diuinitus, ne deleretur Italia, exterarum gentium votum, belli pacisq. magistra, sedes virtutis, domicilium religionis: quā sic orbis auctor Christus suis insigniuit notis amoris prouinciam, vt, cum in ipsam transtulisset quondam suae sponsae Ecclesiae solium; in eandem, posteris saeculis, & Virginis matris castissimam sanctissimamq. Domum transportādam curaret, ex longissime disiunctis regionibus, ex vltimis terris. Nunc profecto Roma cumulatur gaudio; nunc sibi ea pollicetur, adeo etiam ascilscit vsucapit, re certa, spe explorata, quae de vere Gregorio, summo Pontifice, Principe optimo, aut libri tradunt, aut necessitas postulat. reuixit enim pax, respirauit annona, literae oculos sustulerunt. sed quid haec ego nominatim? adest Pij IIII temporum faelicitas, rediit magnificētia omnium rerum, haec tenemus, haec sunt in nostris bonis; speramus maiora, & accipiemus in dies, & vberiora. Tu aequitate Vrbem stabilies, tu sustentabis benignitate inopiā plebis; prudentia tua trahemus tutam tranquillamq. pacem: tu latrones, tu sicarios dissipabis; in reos animaduertes ea regula, ea praescriptione, quae te non sinat alere impunitatem, quae discedere a natura tua nō patiatur. quid exhausti labores? quid iuris magna diuinarumq. rerū cognitio,

vigilijs

vigilijs parta, sudore percepta, an non te, homines doctos ad illustrandos hortabitur? incitabit? illi vero, cum hoc exspectabunt ab eruditissimo Pontifice, tum pro certo habent illud iam, futurum propediem, vt augeantur a te ijs commodis, proficisci quae ab eo possunt, qui ipse expertus sit, virtutem, vel in ampla fortuna, nocturnis laboribus, non diurnis plumis comparari. Quae cum ita sint, non possumus, magnis de caussis, te Maximum factum non vehementer laetari; quo incolumi, quo imperante, & literarum nobilitas, & nobilitatis amplitudo, & reliquae tenuis item partis honestas conseruabitur. quae cum fient, & quoties fient consilio, imperio, faelicitate tua, toties accessio fiet ornamentis tuis, toties reddes te paratiorem ad respondendum, cum, supremo die, extremo spiritu loqueris cum inimicis tuis in porta. Dicant, qui volunt, extollant veterum res gestas, laudando, vel regum, vel populorum: nos quidem praepotentis Dei merita perpetua in humanum genus sepulta esse non feremus; qui te, vt omnia, prouidentissime, hac tanta confusione rerum, his fluctibus, vocauit ad puppim. sic sua viderunt saecula Syluestrum, Pontificem memorabilem; sic magnum Gregorium temporum illorum atrocitas. Hi tui sunt veri Consules, Roma, si recte attendis, veriq. Dictatores; quorum in te amor egregius, certa fides, auctoritas aeterna, multis partibus plura tibi potioraq. pepererunt, quam, vel Scauri quondam illi principes Senatus, vel Fabricij, aut Cincinnati, magistri caecita-

tis

tis tuae. etsi alij magis in culpa; quos dicam nosti: eos, qui cum Ecclesia, cum Deo bella gesserunt; qui, ne Romulo Petrum, Ioui Iesum, Veneri Virginē anteferres, restiterunt nimis praefracte: qui, ne voluntatem mutares, ad pietatem accederes oblatam in sinum, impietate obstiterunt sua videlicet. quod vtinam ab illa mente destitissent, vtinam suscepissent meliores cogitationes; plenum aditum ad salutem, nec tibi per tot annos praeclusissent, nec sibi obstruxissent in omnem aeternitatem: nec tantum furorem obiecissent immanitati Barbarorum tui spiritus, vt vndique ad interitum tuum conuolarent; vt, tantum incendium ipsorum manibus excitatum, ruina restinguerent; vt te tot plagis acceptis concidentem, ardoreq; flammae conflagrantem, coram intueri sedentes sustinerent, quam, non paruum fuerat beneficium quod vidissent. Verum, quo ex loco est digressa, eo redeat oratio. neque tu non idem eris, qui ad hanc vsque diem, humanus & lenis in reliqua vita. non est credibile; viuit nemo praeditus adeo tenui cogitatione, adeo ferus & ferreus, cui facies ipsa vultusq; tuus, certus index voluntatis in ingenuis, non faciat fidem de tua humanitate: non hac fucata, quae se tuetur artificio forensi, sed germana & vera; non, assidua simulatione quasi colorata, sed tibi ab incunabulis, beneficio naturae ac munere impertita: cuius, quotidie tu quidem ostendis, vt audio, sed vidi egomet in foro Boario, libentissimeque vidi, ad hortos Palatinos, signa certissima; cum vul-

tu,

tu, cum perpetua hilaritate, cum oculis plenis amoris Populum R. prosequebaris, te vicissim faustis acclamationibus prosequentem, dignitati tuae plausus dantem; tibi cuncta, bona, laeta, fortunatissima ominātem. qui ergo natura sunt affabiles, communiq. haereditate generis; quiq. ibi vitae initia sumpserunt, vbi est mansuetudo, vbi modestia, vbi lenitas nata, & alta, eorum non fuerint amabiles mores? placida oratio? grata responsa? sermones minime pertinaces? pascentur in vlmis pisces ante, quomodo magnus Poeta, quam tu de hac mente consilioq. deducaris, aut hic summus dignitatis gradus, haec altitudo gloriae, tibi hunc facilitatis auferant domesticum natiuumq. sensum, quo excellis abundantia quadam amoris: qui sis, qui fueris, deinceps non dijudicabitur, dum viues, si huc spectemus: non enim, vt dominationis, ita sententiae est sequuta dissimilitudo; nec prima iacebunt, quia vltima eminent. mutauit honor iurisdictionem, cumulus dignitatis solicitudinem; non suffragium consuetudinem; non potestas naturam. non eadem est conditio, eadem tamen voluntas; par beneuolentia, idem propositum. non distabunt, praenuncio, testificor, in quantacunque rerum affluentia, non alia erunt a veteribus noua instituta tua: non requiram, hoc mihi eripiet nemo, non desiderabo in Gregorio Nicolaum, neque in Petri successore Francisci Sfondrati haeredem; neque in Romano Pontifice, mitissimum, & beneficentissimum Cardinalem. Quare, securus Populus R. Gregorio Pontifice, se, tum copiosius alendum fore, tum legibus

gibus regendum mollioribus, vſurpare laetanti animo illa verba non dubitabit ad laudem tuam, Deus nobis Deus nobis haec otia fecit. Tu ergo ipſum priſtina tua voluntate in egenos tenebis obligatum, ille te, pro ſua in Pontificem obſeruantia, ſubleuabit non parum, ſi quid ego video, precibus quotidianis ſuis: nec ſolum retinebit memoria beneficium tuum, verum, nactus praeterea occaſionem referendae gratiae, ſtudioſum ſe incolumitatis tuae, ſalutiſq. & cupidiſsimum probabit. Faxit Maximus ille omnium Pontifex Chriſtus & Princeps, vt, quando hoc ſenſu eius vicariam poteſtatem gerere coepiſti, quaecumque poſthac eodem animo affectabis, inſtitues, aggredieris, ita cadant, veniant ad eum exitum, quo tu ea concludi potiſsimum voluiſſes.

DE D. IOANNE EVANGELISTA ORATIO

IACOBI ACCARISII
Ph. & S. Th. Doct. Bon.

Habita ab eodem in Sacello Pontificum

AD URBANUM VIII. P. M.
ANNO MDCXXIX.



ROMÆ, Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXIX.
SUPERIORUM PERMISSU.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Pal. Apostolici.

A. Episc. Bellicastr. Vicesg.

Imprimatur.

F. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apostolici Magist. Ord. Præd.

VRBANO VIII. PONT. MAX.

IACOBVS ACCARISIVS F.

PATER BEATISSIME) frustra laudatio mea quærat umbras, cum tu iam illam audieris. Sapientissimæ aures tuæ oculorum iudicium non expectant: neque minus in verbis, dum à dicentis ore prætervolant, quam cum ferreis Typi carceribus detinentur, vitia, si quæ insunt

depræhendis. Id vnum exoptarem, vt non inuitus beatis tuis manibus in mea Oratione Ioannem exciperes, quem libenter Christus Sanctiſſimo ſinu complectebatur. Diutiſſime Vale, in placidiſſima etiam ſenectute quam ſimilis Ioanni futurus.

ORA-

ORATIO.

IOANNEM Chriſti Amorem caſtiſſimum, qui præclara ingenij face veterum ſuperſtitionum tenebras diſſipauit, & calami telo naſcentium hæreſum monſtra confodit, hodierna luce laudare ſum iuſſus. Hunc igitur, ſi Chriſto geminum extitiſſe, quemadmodum iura amicitiæ præſcribunt, demonſtrauero, in eo libenter, vt opinor, expreſſam ſummi honoris tui imaginem intuebere, (Pater Beatiſſime,) qui Pontifex Max. Chriſti tu quoque perſonam geris.

Et quidem, non ne Ioannem ſimilem

ſibi Chriſtus conformauit, quando moriturus Deiparam ei pro Matre legauit? Non ne ſenſum aliquem acerbiſſimę conſolationis Beatiſſima Virgo percepit; cum Chriſti loco Ioannes pro Filio ſibi ſubſtitueretur? Naſcere iterum vnice Chriſti Dilecte, nam licet in turbulentiſſimum Dei obeuntis tempus tua hæc natalitia contingant, propitia tamen maris tibi ſtella ſcintillat: gaude in communi omnium luctu, nam Matrem inuenis, quando rerum vniuerſitas parentem ſibi luget ereptum. Inter ſocios tuos contentio illa faceſſat, qua importune ambigitur, quis nam veſtrum maior eſſe videatur; fugiente enim & Chriſtum abiurante Petro, cæleſtis Reginæ cura tibi committitur. Renaſcere, inquam, fortunatiſſime ingeniorum Phœnix è Diuinæ Sapientiæ rogo charitatis ardore conflagrantis.

Atque hoc aliud eſt, in quo Ioannes Chriſtum repræſentauit, in ſapientiæ prærogatiua, qua ſic excelluit, vt non ſolum Theologi nomen ſuum effecerit,

ſed

ſed etiam arcana verba, quæ homini loqui vſque ad tertium cœlum rapto non licebat, enunciauerit; immo vero de Verbo vitæ vulgauerit ea, quæ ſuis ipſe vidit oculis, & manus eius contrectauerunt.

Neque ſolis manibus, ſed etiam ore Dei Verbum contrectauit Ioannes, cum in poſtrema illa, ac myſteriorum pleniſſima cœna caput in Domini pectus reclinauit, hoc eſt beatiſſima inter Chriſti vbera exceptus lac ſapientiæ ſuxit, quo recens natos Chriſtianæ religioni fideles enutriret. Nimirum clauſit oculos, vt lynceus euaderet; atque à ſomno fraternæ Mortis affinitatem diremit, cum ſibi dormienti vitæ parentis ſinum pro ceruicali ſubſtrauit. Niſi forte quoniam Chriſtus Dominus trabales clauos, ac cætera ferramentorum genera, quibus affigendus proxime Cruci erat acerbius recrudeſcere ſenſit, Diſcipulum æſtuantem amore applicuerit pectori, vt facilius eorum crudelitas emollеſceret. Sed tibi Ioannes diſcedendum à conuiuio eſt, at-

que in Caluariæ Montem properandum, vbi, heu quam libenter Christi pectori tuum iterum caput obijceres, ne vnus militum lancea Diuinum latus tam immaniter aperiret. Quanquam, vbi manantem aquam à sanguine discreueris, iam tum sub Cruce Theologum agere cæpisti, cum inter naturæ totius confusionem, ac tenebras nascentis Christianæ Religionis mysteria, ac sacramenta distingueres.

Iam vero in rerum perpessione asperarum expressiorem Christi effigiem induit Ioannes, dum iussu Domitiani Cæsaris immanissimi flagellis ictus, solas charitatis scintillas emisit; dum vastissimas Asiæ regiones illustrauit, quæ lucis Euangelicæ defectum ex eo patiebantur; quod Ephesia Luna, cui celeberrimum Fanum erat extructum veritatis soli se opposuisset: dum tam capitali odio Christianæ Religionis hostes persequeretur, vt Balneum, quo Cherinthus eorum antesignanus lauabatur, intrare noluerit, ratus eas vndas esse non posse cuipiam salutares, in quibus naufragus à Fide nataret. Scilicet quas

aquas fœdo contactu Draco Tartareus infecit, iure merito ſibi Ioannes duxit eſſe perniciosiores Viperarum veneno, quod innoxio exorbuit hauſtu. Periculoſius ſibi existimabat Balneum inferorum face calefactum, quam flagrantis olei Dolium, quod Senatus P. Q. R. decretó ſubierat. Tunc enimuero non mollius conſtantiæ robur in oleo apparuit, quàm paulo ante inuictiſſimi Stephani fortitudo ſe inter ſaxa probauit. Quamuis oleum illud feruens, quod non læſit Ioannem, accenſæ Cæſaris iræ pabulum ſubminiſtrauerit. At falleris Domitiane. Neque enim iam cum Muſcis, quibuſcum præliari victor identidem conſueuiſti, ſed cum Aquila certandum eſt à tui furoris fulminibus imperterrita. Si Ioannem in deſertam Pathmon Inſulam relegabis, id efficies, vt ſola deſerta verbi diuini ſemine fæcundentur: Etenim ex montium viſceribus metalla non effodiet, ſed in Apocalypſeos libro ſapientiæ theſauros abſcondet, ad quos refodiendos Theologorum deinceps induſtria deſudabit.

Reſtat

Restat actus Ioannis extremus, in quo absolutissimè Christum expressit in Pacis procuratione, qua tantopere exarsit, vt in summa senectute, centum, & eo amplius natus annos, cum loqui vix posset, illud identidem ingeminarit, vt se inuicem Christi fideles amarent. Faxit Deus, vt de cælo Ioannes inter Christianos Principes veram animorum coniunctionem impetret. Loquatur illa pacis verba Tonitrui filius, quibus auditis præsentia bella conquiescant.

LAVS DEO.

FINE